BULLA S.MI IN CHRISTO PATRIS ET D.N.D. CLEMENTIS DIUINA PROUIDENTIA PAPAE OCTAUI, ...

Basiliani, Clemens 8.>

BVLLA
S.mi IN CHRISTO PATRIS
ET D. N. D. CLEMENTIS
DIVINA PROVIDENTIA
PAPAE OCTAVI,

Confirmationis & innouationis

Alterius Bullæ fel.rec. GREGORII Papæ XIII. editæ

SVPER

Approbatione reductionis Monasteriorum Ord. Sancti Basilij in Congregationem, reformatione illius personarum & Monasteriorum, separatione mensæ Conuentualis ab Abbatiali in singulis Monasterijs, necnon exemptionibus & priuilegijs Ordini & Congregationi huiusmodi concessis;

CVM FACVLTATE

Illustriss.& Reuerendiss. D.Iulio Antonio S.R.E. Presb. Card.Sanctæ Seuerinæ moderno, & pro tempore existenti Protectori dicti Ordinis attributa, procedendi ad integram executionem eorum, quæ in Gregorij XIII. Bulla continentur:

AC INDVLTO

Pro recipiendis sub certa forma Nouitijs sexdecim annis maioribus extra Capitulum Prouinciale.



ROMAE, Apud Paulum Bladum Impressorem Cameralem 1593.

CLEMENS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Ad perpetuam rei memoriam.

QVAE ad restituẽdos in pristinum decorem, & dignitatem ordines regulares in Ecclesia Dei à sanctis Patribus institutos, & collapsam in eis disciplinæ præsertim monasticæ obseruãtiam, modis congruis instaurandam piè, ac prouidè à prędecessoribus nostris Romanis Pontificibus sancita fuerunt, in eis confirmandis, & innouandis, auctoritatem nostram libenter interponimus, prout in Domino cõspicimus salubriter expedire: Quam sanè piam cogitationem Apostolici nostri muneris propriã impensiùs suscipimus pro salubri directione, & profectu insignis ordinis sancti Basilij; pro cuius reformatione aliàs fel.rec. Gregorius Papa XIII. prædecessor noster, per suas sub Dat. Kal. Nouemb. Põtificatus sui Anno Octauo, editas litteras, primùm quidem reductionem Monasteriorum ordinis prædicti, necnon Priorum, & Monachorũ in Congregationem & Capitulum tunc recẽns celebratum, eiusq. indictionem & præsidentiam, & in eo factas Abbatis Generalis, & alias tũc expressas electiones de Apostolicæ potestatis plenitudine approbauit, & confirmauit; atque inter alia statuit, Vt Abbas Generalis pro tẽpore electus, æquè vt alij aliorum Ordinum in Congregationes reductorum Abbates Generales & Præsidentes, in suis quisque Capitulis, Congregationibus, & Ordinibus, de iure priuilegio, & consuetudine habent, & exercẽt, habereq;, & exercere possunt, plenam, & omnimodam superioritatem, iurisdictionem, & auctoritatem haberet, & exerceret, tam in ea omnia, quæ in Italia, & Regnis vtriusque Siciliæ sunt, quàm etiam in alia Prouincię Hispanię paulò antè per eundem prædecessorem in Regnis Hispaniarum instituta, & prorsus in cætera quæcũque Monasteria, Domos, & loca, in eadem Prouincia sub regula Sancti Basilij eatenus erecta, & in posterum erigenda, eorumq; Abbates, Conuentus, Monachos, & personas; quæ pridem cum Monachis

Procemium.

Greg. XIIj. approbauit reductionem Monasteriorũ Ord. S. Basilij in Cõgregationem, iuxta Cõc. Tri. sess. 25. de Regul. cap. 8.

Ac statuit, vt Abbas generalis istius Cõgregationis, haberet superioritatẽ, iurisdictionẽ, & auctoritatẽ ad instar Abbatũ aliorũ ordinũ in similes Cõgreg. reductorum, in Monasteria, loca & psonas Italiæ, Regni vtriusq; Sicilię, & Hispanię Prouĩciarũ dicti Ordinis.

eiusdem Ordinis Sancti Basilij in Italia existentibus, & eorum Congregationi prædictæ, sub obedientia inde futuri Abbatis, seu Vicarij generalis eiusdem Congregationis idē Gregorius prædecessor perpetuò coniunxerat: eaq; necnō Visitatorem eiusdem Prouinciæ Hispaniæ, Abbati, seu Vicario generali Congregationis huiusmodi in Italia pro tempore eligendo subiecerat, & ab eo dependere decreuerat inter alia, quemadmodum in eiusdem Gregorij prædecessoris diuersis litteris, prioribus videlicet Kal. Maij, secundo; posterioribus verò, viij. Kal. Iulij, Sexto Pontificatus sui annis Dat. pleniùs continetur. Iussit præterea ipse Gregorius prædecessor vniuersos, & singulos eiusdem Congregationis Sancti Basilij Abbates, Priores, & Prælatos, necnō Monachos, & alias quascunque personas ipsi Abbati Generali tanquam membra capiti, & eorum legitimo superiori, in omnibus quæ ad officium Abbatis generalis pertinent, eorumq; animæ salutem, regularisq; obseruātiæ rationem concernunt, promptè, & humiliter obedire. Et, vt habitus, qui exteriùs geritur, religiosis mentis affectibus pariter responderet; Statuit, vt omnes Congregationis eiusdem professores, eundem habitum à Nouitijs distinctum, ex panno nigri coloris cum caputio, siue cuculla monachali, omninò deferrent, veluti ex antiquo eiusdem Ordinis instituto prisci Patres, & Monachi gestare solebant: Vtq; omnes eiusdem Ordinis Sācti Basilij Monachi, & Religiosi, qui in dicto Ordine iam admissi fuerant, professionem regularem eiusdem Ordinis in manibus Abbatis, si ibi fuisset, vel Prioris Monasterij, in quo reperirentur expresse emittterent: Deinceps verò, nemo in dicto Ordine, illiusq; Monasterijs ad eiusdem Ordinis habitum regularē, vel professionem siue tacitā, siue expressam admitteretur, nisi in ætate legitima constitutus, anno demum integro in probatione iuxta eiusdem Concilij Tridentini decreta perstitisset. Generale autem Capitulum, in quo de Ordinis prædicti reformatione, & regulari obseruantia agēdum esset, tertio quoque anno celebraretur. Eorundem siue Abbatis Generalis, siue Visitatorum, siue Procuratoris itē generalis munera, siue officia triennalia essent: Liceret tamen in eodem Capitulo generali, vbi manifestè cognitum fuisset expedire, eosdem omnes aut eorum aliquos ad aliud

Vtq; deberent omnes obedire Abbati Generali.

Professi deferrent habitū distinctum à Nouitijs.

Non professi, profiterentur.

In professione obseruaretur Cōciliū Trid. sess. 25. de Regul. cap. 15.

Capitulū generale tertioquoque anno celebraretur.

Officia Prælatorum essent triennalia, & quādo possent de nouo eligi.

triennium in eodem, quod gessissent, officio, nec vltrà, confirmare: qui tandem ab eisdem muneribus absoluti, saltem per aliud simile triennij spatium officio vacarent. Cæterùm, si tunc, & pro tempore dicti Ordinis Protectori videretur opportunum, ac quousque ille id expedire censuisset, consilium & auxilium alicuius Abbatis Congregationis Cassinen. in huiusmodi Capitulis celebrandis ex longa consuetudine, & experientia pleniùs instructi, ad ipsum Capitulum generale posset adhiberi; qui eiusdem Protectoris auctoritate, etiam eidem Capitulo præsideret generali. In singulis verò Capitulis generalibus locus, in quo proximè futurum Capitulum generale celebrandum esset, designaretur. Electiones autem per suffragia secreta fierent, prout Concilij Tridentini prædicti decretis est statutum. Ad hæc, vt ipsi Monachi degẽtes in Monasterijs, in quibus mensa Conuentualis non est ab Abbatiali separata; quæq; Clericis secularibus, & alijs cuiuscunque gradus, & dignitatis, etiamsi Cardinalatus honore præfulgerent, commendata essent, obsequijs Altissimi liberiùs vacare possent, prædictus Gregorius prædecessor mensam Conuentualem à Mensa Abbatiali distinxit; & ab eisdem Monasterijs, quousque illa commendata fuissent, eam bonorum stabilium, proprietatum, iuriumq; partem, quæ tamen inter immobilia censerentur, perpetuò dismembrauit, atque diuisit; quæ ad alendum solitum Monachorum, & ministrorum numerum, ac victum, & vestitum, aliaq; ad eorum sustentationem necessaria comparanda sufficerẽt; eosdemq; Commendatarios ad assignandum totidem bona, proprietates, & iura prædicta intra tempus per bo. me. Guilelmum Cardinalem Sirletum tunc eius Ordinis Protectorem præfigendum omninò teneri voluit. Hæc autem bona stabilia, proprietates, & iura sic per eum dismembrata, necnon omnia alia mobilia, & immobilia, quæ ex piorum fidelium testamentis, legatis, largitionibus, aut alias quomodocunque ipsis Conuentibus, & Monachis in posterum donata, concessa & relicta fuissent (pro quorum consecutione Monachi, Conuentuum eorũdem nomine, etiam in iudicio agere, & experiri, ac in illo interuenire valerent) sed & oblationes, atque eleemosynas in eorũdem Monasteriorum Ecclesijs erogandas, pro constituenda mensa

Protector posset adhibere Abbatẽ Cõgregationis Cassinẽ. Ord. S. Benedicti in Præsidentẽ Capituli generalis.

Locus Capituli designaretur

In electionib' obseruaretur Cõc. Trid. ead. sess. 25. de Reg. cap. 6.

Mensam Cõuẽtualẽ ab Abbatiali distĩxit, & ad hunc effectum bona stabilia dismẽbrauit, & pro cõstituẽda in quolibet Monasterio Mensa Conuẽtuali applicauit.

Vltra legata, oblationes & eleemosynas.

Conuen-

Conuentuali in singulis Monasterijs prædictis, ac pro augmento earundem mensarum Conuentualium, etiam perpetuò applicauit, & appropriauit. Et nihilominus Commendatarijs voluit incumbere, prout tenentur, in eisdem Monasterijs, quæ Conuentum habent, Monasteriorum, & Ecclesiarum eorundem reparationi, ac alijs ad diuinum cultum necessariis prouidere: quorum Monasteriorum claustra, & ædificia pro vsu Monachorum constructa, quoad Monachos prædictos in eis permanere contigisset, eorum liberi, atque absoluti iuris esse decreuit. Liceret verò Abbatibus, Prioribus, cęterisq; dicti Ordinis Monachis, & Religiosis corporalem possessionem bonorum sic dismembratorum, & applicatorum, ac vt præfertur, assignandorũ; cum primùm illa per Commendatarios assignata fuissent & Claustrorum, ac ædificiorum Monasteriorum prædictorum Conuentum habentium, per se vel alium seu alios, propria auctoritate absque alicuius Iudicis ministerio liberè apprehendere, & apprehensam retinere; ac eorundem bonorum, siue proprietatum, & iurium fructus, in communes eorundem Monachorum, & Ministrorum vsus, & vtilitatem conuertere; ipsorumq; Claustrorum, & ædificiorum libero vsu pacificè frui, & gaudere, quorumuis licẽtia super his minimè requisita. Vt autem prædicta Monasteria Ordinis Sancti Basilij sic in vnam Congregationẽ redacta, eliminatis omnibus abusibus, in via Domini quotidie magis proficerent, Conuẽtus omnium Monasteriorum virorum Conuentum habentium dicti Ordinis Sancti Basilij, quæ iam in Italia, & prædictis Regnis erecta essent quæcunque, quotcunque, & qualiacunque fuissent, & per quoscunque etiam S.R.E. Cardinales, in titulum, Commẽdam, vel administrationem, aut aliàs obtinerentur, dignitatibus Abbatialibus eorundem semper saluis, ita vt de eis quotiescunque vacauissent per Romanum Pontificem, & Sedem prædictam omni tempore disponi liberè deberet, & sine præiudicio iurium eiusdem Sedis, quæ inuiolata permanere voluit ac etiam Prouinciæ Hispaniæ prædictæ necnon omnium; & quorumcunque aliorum, quæ deinceps à Congregatione & Monachis prædictis (Deo adiuuante) erigi, & construi contingeret in eisdem Italia, & Regnis, ac prouincia Hispaniæ, ipsi Congregationi, in

Atq; vt Commendatarij tenerẽtur ad reparationẽ Monasteriorum & Ecclesiarum.

Monachi haberent claustra & ędificia pro eorum vsu.

Possent illorũ ac bonorum vt suprà applicatorũ possessionem apprehendere.

Cõuentus omnium Monasteriorum Cõgregationi aggregauit.

perpe-

perpetuum aggregauit. Ac Monasterijs, Conuentibus, Prioribus, & Monachis prædictis, necnon Conuersis, & Oblatis, alijsque etiam dictorum monasteriorum Sancti Basilij Religiosis, & personis, vt de cætero omnibus & quibuscunque priuilegijs, prærogatiuis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indulgentijs, fauoribus, gratijs, & indultis, tàm spiritualibus, quàm temporalibus, Congregationi prædictæ Cassineñ. illiusq; personis, & locis per quoscunq; Rom. Pontifices prædecessores suos, ac ipsum, & dictam Sedem in genere, vel in specie concessis, confirmatis, & innouatis, ac etiam per viam cōmunicationis ad eandem Cōgregationem Cassineñ. extensis, quibus illi vtebantur, potiebantur, & gaudebant, & vti, potiri, & gaudere potuissent quomodolibet in futurum (quæ tamen vsu recepta essent, & sacris Canonibus, ac dicti Concilij Tridentini decretis, ipsiusque Ordinis Sancti Basilij institutis non aduersarētur) vti, potiri, & gaudere, liberè & licitè valerent, concessit & indulsit. Eandemq; Congregationem Sancti Basilij, illiusq; Conuentus, Monachos, & personas quascunque, ab omni Ordinariorum Locorum, ac etiam eorum, qui Monasteria dicti Ordinis, etiam Archimandritatus appellata in Commēdam, vel aliàs quomodolibet obtinuissent, eundemq; Ordinem Sancti Basilij expresè professi non forent, iurisdictione, auctoritate, & potestate penitùs exemit, & liberauit: ac sub sua, & Beati Petri protectione immediatè suscepit. Ita tamen, vt omnes sub dicta exemptione comprehensi, Abbatis generalis, Visitatorū, Abbatum, Priorum, & aliorū officialium, tam in dicto generali Capitulo, quàm extra illud canonicè electorum, & aliorum, qui pro tempore eligerentur, iurisdictioni, visitationi, morumque correctioni iuxta eandem Regulā Sancti Basilij, ac eius Ordinis instituta, omninò, prout eorum incumberet muneri, essent subiecti. Insuper Abbati generali & Visitatoribus in Capitulo generali deputatis, vt Monasteria, Prioratus, & alia loca; ac Abbates, Priores, Conuentus, & personas Cōgregationis prædictæ iuxta dicti Cōcilij decreta, & regularia instituta prædicta visitare, & tam in capite, quàm in membris reformare, delinquentes, inobedientes, & rebelles corrigere, punire, & castigare, regularia dicti Ordinis Sancti Basilij instituta, in illis exactè cu-

stodienda

Illorum personis indulsit vti priuilegijs Cōgregationis Cassineñ.

Exemit eosdē à iurisdictione quorūlibet præterquàm Romani Pontificis & Prælatorum Congregationis.

Superiores Cōgregatiōis possent visitare, reformare, corrigere &c.

In Capitulo generali possent facere statuta, &c. à Protectore tamē ante promulgationem examinanda & approbanda.

ſtodienda introducere. Ac in dicto Capitulo generali pro tempore congregatis eiuſdem Congregationis Monachis, vt quæcunque ſtatuta, & ordinationes ad ſalutare ipſius Congregationis regimen, & ad regularem obſeruantiā pertinentia (licita tamen, & honeſta, ac ſacris Canonibus, & Concilij Tridentini decretis, necnon Regulæ Sancti Baſilij præfatis minimè contraria) ab ipſo tamen Guilelmo Cardinale tunc, & pro tempore exiſtente dictæ Congregationis Protectore, antequam promulgarentur, examinanda, & approbanda, condere valerent, licentiam tribuit.

Decretum de ſic iudicando, cum clauſula ſublata.

Decernens ſupradicta omnia perpetuò inuiolata fore, ſicq; per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, in quauis cauſa & inſtantia, ſublata cuique aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbiq; iudicari debere.

Decretum irritans, appoſitū in prædicta Bulla Gregor. xiij.

Necnon irritum, & inane quidquid ſecùs ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari.

Præcepit bo. me. Guilelmo Card. Sirleto tunc, & pro tēpore exiſtenti Protectori vt ſingula in eadē Bulla contenta obſeruari faceret.

Sed ne earundem litterarum effectus in longum protraheretur, Guilelmo Cardinali prædicto præcepit, vt per ſe, vel alium, ſeu alios, eaſdē illas litteras, & quicquid in eis continebatur, ab vniuerſis & ſingulis Ordinis, & Congregationis Sancti Baſilij prædicti Abbatibus, Prioribus, & Monachis, alijsq; prædictis & dictorum Monaſteriorum, & Archimandritatuum prædictorum Commendatarijs, etiam vt præfertur qualificatis, inuiolatè faceret obſeruari; & ad aſſignandum, & cum effectu tradendum pro monachorum, & miniſtrorum numero alendo, ac mēſa Conuentuali in his Monaſterijs in quibus eorum Conuentus exiſtunt, partē bonorum & proprietatum, ac iuriū clauſtraq; , & ædificia prædicta liberè conſignandum intra duos menſes à die publicationis earundem litterarum in Rom. Curia de more conſtitutionum, & litterarū Apoſtolicarum faciendæ numerandos, etiam per priuationem Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum ab eis obtentorum, cæteraque omnia iuris, & facti remedia opportuna compelleret.

Commendatarij mēſas Conuentuales aſſignarent intra duos mēſes, & ad id compellerentur etiā remedia opportuna, & per pœnam priuationis.

Idem enim Gregorius prædeceſſor ipſi Guilelmo Cardinali, & pro tempore exiſtenti Protectori, per ſe, vel alium, ſeu alios, contra Commendatarios omnes Monaſteriorum & locorum Conuentuum prædictorum ſic in Congregationem reductorum, qui congruā

aſſigna-

assignationem bonorum, proprietatum, ac iurium dismembratorum prędictorum præstituto tempore facere distulissent, recusassent, negauissent, vel etiam quouis modo impediuissent, cęterosq; omnes sua in præmissis quomodolibet interesse putantes, etiam per edictum locis publicis affigendum, citandi & monendi, ac contra eos, & prorsus contra quoscunque alios contradictores, & rebelles, eisque auxilium, consilium, & fauorem publicè vel occultè præstantes, etiam summariè, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij, sed sola facti veritate inspecta, omni & quacumque appellatione remota, procedendi, & ad hunc aliorumque præmissorum omnium executionem, & effectum, tam eisdem, quàm etiam quibuscunque Iudicibus & personis, etiam sub censuris & pœnis Ecclesiasticis, ac etiam per simile edictum, inhibendi, censuras & pœnas ipsas etiam sæpius aggrauandi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, auxiliumque brachij secularis, vbicunque opus fuisset, inuocandi. Necnon partem proprietatum, & possessionum Mensarum Abbatialium prædictarum, quæ ad redditum annuum pro victu, & alijs ad vsum soliti monachorum & ministrorum numeri satis esset, arbitrio eiusdem Guilelmi Cardinalis, & pro tempore Protectoris, vel eorum qui ab eo deputarentur, eligendarum, pro mensa Conuentuali, etiam per subtractionem & aliàs prout ei visum fuisset, perpetuò constituendi & assignandi. Cęteraque in præmissis, & circa ea necessaria, & opportuna faciendi, & exequendi, etiam si talia fuissent, quæ mandatum requirerent magis speciale, quàm prædictis litteris fuerat expressum, plenam & liberam cōcessit facultatem, & aliàs amplissimis derogationibus, & clausulis adiectis, prout in litteris prædictis latiùs continetur. CVM AVTEM, sicut dilectus filius noster Iulius Antonius tt. Sancti Bartholomæi in Insula Presbyter Cardinalis Sanctæ Seuerinæ nuncupatus modernus eiusdem Ordinis apud nos, & Sedem Apostolicam Protector nobis nuper exposuit, ex litteris superiùs expressis, quæ suum magna ex parte effectum sortitæ fuerunt, non mediocris vtilitas, & fructus spiritualis ad reformationem eiusdem Ordinis prouenerit, & tamen adhuc multa reliqua sint, propter quæ valde expediat easdem litteras debitę executioni, omninò atq; integrè demandari;

Cum facultate citandi, monendi, procedendi summariè & appellatione remota, inhibendi sub censuris, & assignādi bona pro mensa Conuentuali.

dari; Nos, quibus summoperè cordi est, quantùm nostra Pastorali vigilantia eniti possumus, modis omnibus procurare, ac Deo iuuante efficere, vt eius Ordinis Religiosi in dies, quàm optimos & fœlicissimos in vijs Domini progressus faciant; atque vberrimos in sancta Ecclesia fructus, maiorum suorum & præcipuè Sancti eorum Patris, & Patriarchæ Basilij exemplo proferant, Motu proprio & ex certa scientia ac deliberatione nostra, suprascriptas Gregorij prædecessoris litteras, quarũ tenores præsentibus haberi volumus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis, & in eis contenta quæcunque, ac potissimùm, quæ illarum vigore circa distinctionem mensæ Conuentualis à mensa Abbatiali, necnon dismembrationem, & diuisionem partis bonorum, proprietatum & iurium à Monasterijs, & Archimandritatibus prædictis, illorũq; pro mensa Conuẽtuali huiusmodi applicationem, & appropriationem ab ipsis Guilelmo, quàdiu in humanis egit, & deinde Iulio Antonio Cardinalibus Protectoribus, vel de eorũ mandato hactenus gesta sunt, vel quæ posthac per eundem modernum, ac pro tempore existentem Protectorem gerentur; necnon statuta, seu constitutiones hactenus per dictã Congregationem seu monachos in Capitulis generalibus facta, seu edita, ac de eiusdem Iulij Antonij Cardinalis Protectoris mandato per viros Religiosos, eruditos, & pios reuisa, examinata, & ab ipso approbata, ex nunc prout ex tunc, & è contra, Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innouamus, illisq; perpetuæ & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, eaque præsentis scripti patrocinio communimus: Supplentes omnes, & singulos iuris & facti defectus, si qui interuenerint in eisdem. Ac nihilominus eidem Iulio Antonio Cardinali moderno, & pro tempore existenti Protectori, per Apostolicã scripta mandamus, plenamque per præsentes tribuimus facultatem, vt per se, vel alium, seu alios, etiam si, videbitur, dicti vel alterius Ordinis Religiosos ad integram executionem earundem litterarum iuxta illarum formam & tenorem, præsertim quoad institutionem mensarum Conuentualiũ, & separationem bonorum, proprietatũ, & iurium à mensis Abbatialibus, vbi opus erit, ac aliàs in omnibus, & per omnia procedat, atque in omnibus, & singulis superiùs expressis, &

Modò S. D. N. Motu propriò &c. Bullã Gregorij xiij. & illius vigore gesta, & quæ gerentur, necnõ, statuta approbat, confirmat & innouat.

Supplet defectus.

Mãdat Protectori, vt procedat ad integrã executionem eiusdem Bullæ Gregorij xiij. pręsertim quoad institutionẽ mensarum Cõuentualium.

ſis, & alijs quæ in litteris prædictis etiam nominatim ipſi Guilelmo Cardinali conceſſæ fuerant, facultatibus, tàm quoad negotia iam cœpta, quàm quoad non cœpta, vbi, quando, & quoties opus fuerit, ſeu expedire iudicauerit, liberè, & licitè vtatur, perinde ac ſi hęc ipſa ſibi ab initio expreſsè demandata, tributa, & nũc harum ſerie de nouo ſingillatim conceſſa fuiſſent. Quoniam verò, ſi quando contingeret recipi Nouitios aliquos ſexdecim annis maiores, & in ea Prouincia Capitulum Prouinciale aut nũquàm celebraretur, aut admodum rarò: tunc ſanè nimis incommodum eſſet tum ob huiuſmodi cauſam, tum propter Monaſteriorum paucitatem, & locorum interualla, quibus inter ſe disiuncta & remota ſunt, generalis aut Prouincialis Capituli celebrãdi tempus expectare, & aliàs ſeruare formam in Conſtitutione piæ mem. Sixti Papæ V. etiam prędeceſſoris noſtri, ſuper modo admittendi Nouitios ad habitum regularem, & eiuſdem Sixti prædeceſſoris declaratoria poſtmodum edita, præſcripta: Nos vnicuique Priori, ſeu Prælato cuiuslibet Monaſterij, Prioratus, Domus, aut loci Regularis, & Conuentualis dicti Ordinis; vt de conſilio & conſenſu duorum aliorum eiuſdem Congregationis Priorum, ſeu Prælatorum, qui vicinioribus Conuentibus præfuerint, necnon Conuentus ſui Monaſterij, ſeu Prioratus, aut Domus, vel loci, Nouitios etiam ſexdecim annis maiores, alioqui tamen habiles, quandocunque ad habitum regularem eiuſdem Ordinis Sancti Baſilij recipere, & admittere, etiam Capituli Prouincialis, aut Generalis, vel cuiuſuis alterius licentia, approbatione, aut conſenſu non requiſito: ac Nouitijs ipſis, vt poſtquam, vt præfertur, recepti fuerint inibi permanere, & legitimo tempore poſt annum probationis, profeſſionem emittere liberè, & licitè valeant, poteſtatem & licentiam auctoritate, & tenore præmiſſis concedimus, & impartimur. Non obſtantibus præmiſſis, ac noſtris de vnionibus committendis ad partes, ac valore fructuum exprimendo, necnon de non tollendo iure quæſito, ac generalis, & vniones perpetuas, niſi in caſibus à Iure permiſſis, fieri prohibentis, nouiſſimè celebrati Lateranen. Conciliorum, ac rec. mem. Innocẽtij IV. quæ incipit, Volentes, & Bonifacij VIII. Rom. Pontificũ de vna, & in eodẽ Concilio generali edita de duabus dietis, ac prędictis eiuſdẽ Sixti

Concedit Prę latis Monaſteriorum, vt Nouitios aliàs habiles ad habitũ & profeſſionẽ admittere poſſint abſque licẽtia Capituli Prouincialis vel Generalis.

Derogationes ampliſſimæ.

prædecessoris, alijsque Apostolicis constitutionibus, necnon Monasteriorum & Ordinum prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis eisdem Monasterijs, & ordinibus, eorumque superioribus & personis, etiam Monasteria, & Archimandritatus eiusdem Ordinis in commendam obtinentibus, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, & eandem Sedem, etiam per modum statuti perpetui, ac initi & stipulati contractus, ac aliàs sub quibuscunque tenoribus & formis; ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, & in specie etiam ab immemorabili tempore quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, ac etiam vsu receptis, ac quocunque tempore factis, & promulgatis; tam quæ aliàs ipse Gregorius prædecessor in suis litteris prædictis voluit, & decreuit nõ obstare, quàm quibuscunq; alijs indulgentijs & litteris Apostolicis specialibus, vel generalibus; quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua mentio habenda, & quæuis alia ad hoc requisita forma seruanda foret, tenores huiusmodi pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum, forma in illis tradita ad vnguem seruata, insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice & ad effectum præsentium dumtaxat, specialiter & expressè Motu simili derogamus, ceterisq; contrarijs quibuscunque: aut si Commendatarijs, & personis prædictis vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excõmunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam & ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Postremò volumus, vt earundem litterarum exempla, etiam impressa, Notarij publici manu subscripta, & Prælati Ecclesiastici sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem vbique locorum, in iudicio, & extra illud faciant, quam ipsæmet præsentes facerent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, suppletionis, roboris adiectionis, communitionis, man

Ac vult, vt Transumptis istius Bullæ plena fides adhibeatur.

dati,

dati, tributionis, conceſſionis, impartitionis, ac voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo, Quarto Kal. Nouembris. Pontificatus noſtri Anno Primo.

L. Dat:

M. Veſtrius Barbianus.

S. de Vrſinis.

Regiſtrata apud Marcellum Secretarium.





[illegible] notarius publicus Ap.ca auct.te [illegible]